

Montfalconius pulchra icone spectandam curiosis omnibus reddidit ex *Aleandro*. Superior *Zonæ* hujus pars *Proserpina* factum a *Plutone* raptum exhibet, cum aliis pluribus figuris. Inferior per ordinem in *Scutulis* juxta se positis omnia duodecim *Signa Zodiaci* recta linea representat. *Perspicue* sane hic edoceris, *Plutonem* pro *Sole* hyberno habitum esse, itemque occiduo, aut etiam diurno tempore, in imis terræ visceribus, universa, quæ germinant, ac pariunt, sæcundante. Deinde *Ostrin* *Aegyptium*, adjecto semper alio *Zodiaci* *Signo* exhibitum, etiam *Plutoni* prima incunabula sua dedisse.

Tom. I.
Part. I.
tab. XLI.
n. I.

DIALOGUS XXVIII.

De Numis Herculis, ejusque fabulis.

PUBLIUS.

ERuditissimo Viro Domino *Pluche* citra dubium pronum pariter fuerit, *Herculis* quoque, tantopere suis a laboribus decantati *Numinis*, consimilem e simplicibus imaginibus ortum retegere. *TULL.* Quidni? Adnotasse ipsi suffecit, imaginem *Hori* *Aegyptii* obarmati tum expositam fuisse, quando singulariter truculenta, & immanior aliis bestia, vel etiam crudelior quispiam latro, aut prædo insurrexit, ac damna plurima dedit. Adversus talia namque peculiaria *Monstra* hominum, vel animalium, dum toto exercitu ire supervacaneum esset: expositus *Horus* clavatus, quando latro debellandus erat, pharetratus vero, si bestia terribilior conficienda, cujuslibet *Venatoris*, aut *Militis* audacissimi evocator exstitit, ut animum colligeret, iret vel solus, vel paucis parvis animi comitibus assumtis, patriamque hac noxia peste liberare conaretur.

I.

Libr. I.
Cap. II.
§. 20.

- II. Audaces hujusmodi ab *Horim*, i. e. celebris, & *Keli*, h. e. clava, vel Armatura, dicebantur *Horecli*, vel *Harecli*, sive *celebres in bello*, vel *Bellatores*, quasi per Antonomasiam. Qua eadem etymologia sunt Nomina *Heros*, & *Hercules*, dialecti duntaxat mollioris inflexione in diversarum gentium ore. Quemadmodum igitur *Horus*, galea & clypeo munitus, præmonensque ad bellum totis viribus gerendum, tumque *Harits* appellatus, mollius *Hazis*, deinde a Græcis *Ares*, a Latinis *Mars* nominatus, hunc Belli Præfidem peperit, quod alias tibi dixeram; ita clavatus duntaxat, aut pharetratus, & peculiarem evocans ad pugnam, genuit *Herculem*.
- III. Hic vero Historicorum, Vatumque commentis, & ambitione gentium, lapsu temporis mire multiplex evasit. Variis quippe in Regionibus Bellatores præ cæteris potentes, factisque præcellentibus insignes, quibus adversus multos valuerunt, *Herculis* elogio maestabantur: neque destitit unaquæque Gens Heroi suo Patrem aliquem Deum reperire. Singula singulorum gloriosa facta vel uni sunt imputata: vel quod unus idemque gesserat, in plures tribuebatur. Princeps, Græcisque ac Romanis cultus, & ad quem omnia fere Monumenta Laborum, & Facinorum referuntur, est ille, qui *Jove*, & *Alcmena*, Amphitryonis Thebarum Regis conjuge, per fraudem genitus confingitur. Unde vero hæc Genesis, Dominus *Pluche* sciscitatur? Ab Aegyptii, ac proprie Phœnicii *Herculis* nomine, quod erat *Bea Alcum*, & mollius *Ben Alcum*, aut *Ben Alcmén*, i. e. *Rex indomitus*, aut *Filius invictus*.
- IV. PUBL. Magis magisque semper admiror sagacem perspicacissimi hujus Viri Nominum, inque Nominibus rerum ipsarum investigationem. Numi mei, hunc Deum redhibentes, ut reor, vulgares existunt, præter unum *Septimii Severi*, quem pinxeras Parte II. Tab. V. n. 15. ubi pone cippum, in quo Legitur: COS. III. LUD. OS SAEC. ULARES FEC. IT: hinc & inde stant *Bacchus*, & *Hercules*, & supra scribitur: DIS AUSPICIBUS. Cæteri ævis parvi, plures quidem, *Probi*, *Diocletiani*, *Maximiani Herculei*, item *Galer. Valer. Maximiani*, habent in Adversis *Herculem* nudum adstantem, cum pelle Leonis, & Clava erecta, vel demissa, si-
ve cum arcu & pharetra, semel ac iterum cum Oleæ ramo, &

elogiis: HERCULI CONSERV. *atori*: aut VIRTUS AUGUSTI: vel HERCULI PACIFERO. Tantus namque Heros quantam non fiduciam Tutelæ, Virtutis victricis, & Pacis, quæ Victoriis comparatur, spem ingerere debuerat?

TULL. Apud *Argelatum* in variorum Augustorum Numis legitur: HERCULI *Comiti Augusti*, item *Victori*, *Debellatori*, *Defensori*, *Invicto*, *Immortali*. Aliis in Numis vel cum *Jove*, vel cum *Junone*, vel cum *Baccho* adstat, sub lemmate: DII PATRII. Ex quo colligas, quanta ejusdem apud Romanos existimatio fuerit. Labores certe, & Acta illius, in quibus fabula, quidquid suberat veritatis, mendaciis inquinavit, omnium prope Antiquorum Scriptis latum argumentum fecerunt. Unde fere præ *Jove*, ac quolibet alio Deo, frequentius in ære veteri fulget, ejusque Signa, & Anaglypha, in celebribus Antiquitatum Armariis scabellæ plurima occupant: quæ singula qui colligere vellet, Herculeum quodammodo laborem tentaret. Sed omnia hujusmodi Monumenta, si eorum inspiciendorum copia tibi obtigerit, facile intelliges, si vel obvios Poëtarum, & Mythologorum libellos consulueris.

PUBL. Quos tu mihi ejusdem Numos alienis ex hortis pinxisti, singulares sunt omnes. Primus eorum, in hac Tabula decimus septimus, intra sertum laur eum cistulam exhibet, quam serpens velut pertransit: infidet eidem infantulus nudus, utroque brachiolo in altum elato. Epigraphe Græca est: ΜΑΓΝΙΤΩΝ ΕΒΔΟΜΗΤΗΡ ΑCΙΑC. Ut hæc transponam? TULL. Ita demum: *Magnetum Septima Asiæ*. Namque *Gordiano Pio* cudit hunc Numum a Cl. *Patino* p. 298. & Ill *Spanhemio* l. p. 655. editum, celebris *Magnesia* ad *Mæandrum*, numero ac dignitate Septima in Urbibus Asiæ. Infantem quod attinet, nihil de eodem pronunciare se ausum, fatetur *Patinus*. Ill. *Spanhemius* in eodem citra dubium suspicit *Jovem* puerum, *Creta* genitum: eo quod *Magnesia* hæc ad *Mæandrum* *Cretensium* Colonia fuerit.

Erunt autem fortassis, qui *Bacchum* hoc in parvulo intueri velint: in cujus festo, ut superius dixeram, ipse ut infantulus in cista, serpente addito, circumferebatur. Aliis *Hercules* infans hic assidere videri possit: cujus cunis ad eum enecandum,

V.

VI.
TAB. V.
N. XVII.

VII.

dracones geminos immisisse *Juno* confingebatur, *Zelotypa*, quod *Jupiter* cum *Alemena* convenerit. Verum tamen latrones hos virulentos divinus pugio infantilibus palmulis, in roboris prodigiosi praludium, elisisse jaëtabatur. Hunc porro expressum hic esse, suadere possit insequens *Numus*, nisi alterius *Magnesiæ* fuerit, quæ in *Lydia* est, ubi olim *Heraclides*, ex posterioris *Herculis* re-gnaverant.

VIII. PUBL. Hoc in Numo tuo decimo octavo *Herculem* nudum, TAB. V. habitu Viri stantem, intueor, qui dextra elata gestat aurea tria N.XVIII mala, laeva demissa clavam sustentat. Circum legitur: ΜΑΓΝΗΤΩΝ. Oportuit nimirum *Herculem*, juxta fabulam, ut se *Eurysthei* Mycenarum Regis obedientia liberaret, hujus imperio gravissimos duodecim Labores obire: in quibus & fuerat, hæc aurea mala, in hortis *Hesperidum* ab immani dracone custodita, hoc interfecto, suffurari. TULL. Exstat hic *Numus*, qui pariter est *Gordiani Pii*, iterum apud Cl. *Patinum*, ubi anterior. Porro apud Ill. *Spanhemium* I. p. 331. tres maximi Numi *Antonini Pii*, *Geta* ac *Gordiani*, eandem fabulam sistunt, Arbore ubique depicta, cui serpens obvolutus. In primo sorores tres *Hesperides* mœstæ adspiciunt, quomodo *Hercules*, contuso jam dracone, poma rapit. In altero *Atheleta* hic spirantem adhuc & obsibillantem Serpente[m] actu ferit. In tertio, peracto jam labore quiescit, adstans cum clava demissa, & orbem intuens, malis decerp-tis oppletum.

IX. Rursum *Patinus* inter *Commodi* Numos, *Herculis Romani* no-men, cultumque vehementer affectantis, ut vides in tuo ejusdem Numo æris medii, a me picto Part. I. Tab. II. n. 2. do-quamplures cum *Herculis* imagine protulit, cum primis ut *Luctatoris* cum *Diomede* *Thessaliæ* tyranno, qui suos equos humanis carnibus pascebat. Illum namque occisum propriis equis devo-randum objecit: hos deinde, licet ferocissimos, clava contudit. Gravissimus omnium labor eidem affingitur in *Cerbero*, ab infe-ris abstrahendo: quod etiam tandem perfecisse in proximo a me picto Numo *Postumi* Tiranni exhibetur, quem edidit Ill. *Spanhe-mius* I. p. 265. PUBL. Graditur in eodem *Hercules* nudus, cla-va humero laevo imposita, dextra *Cerberum* tricripitem loro post se

se trahens , cum epigraphe : HERCULI IMMORTALI. Quod elogium eximie sane promeritus esset , si truculentum hunc , & indomabilem Tartari Custodem absque fabula removisset.

TULL. Apud eundem Ill. Virum in aliis præterea duobus XII. maximi moduli Numis , quorum unus est *Perinthiorum* , seu *Heracleæ Thracicæ* , alter *Heracleæ Ponticæ* , idem commentum exhibetur. In quorum priore *Hercules* , æque ut hic , Cerberum captivum trahit : in posteriore vero leonina pelle indutus , hoc monstrum ante ipsas Tartari fores clava vibrata flagellat. Rursum I. p. 268. Medallionem perelegantem , cum capite *L. Veri a Prusensibus ad Hippium* signatum , protulit : ubi *Hercules* clava sua hydram septem capitum vi tota conquassat , retro eum erecta columna , cui parvula *Minervæ* imago superstat : quæ Dea Numine suo omnes *Herculis* pugnas victrices effecit. D. Liebe G. N. p. 175. perpulchrum *Heracitarum* Numum Argenteum protulit , inde cum capite *Minervæ* galeato , in Aversa cum *Hercule* stante , & Leonem *Nemæum* solis brachiis conficiente , retro cubantibus clava , & arcu. Fuit hic e primis Laborum ejus : post quem hujus leonis exuvias thoracis , galeæque loco assumpsit. Ab eodem Antiquario Gothano p. 206. in argenteo Numo parvo sistitur *Hercules* , ut *Acheloum* , qui tauri formam sumserat , compressit.

Apud Cl. *Erælichium* in Appendiculis pereruditis ad *Vaillantium* n. 115. pingitur *Caracallæ* Numus æris medii , signatus a *Nicaeensibus* : ubi *Hercules* æripedem Cervam , in genua procumbentem , cornibus retinet. Item n. 122 in alio ejusdem Numo , ab iisdem signato , comparet *Hercules* , ut elata clava geminos equos colligatos ducit , scilicet *Orchomeniorum* : quorum , contra se cum exercitu venientium , equos , curribus præjunctos , noctu cepit , seque inter colligavit. Rursum n. 199. in *Maximimi* Thracis Numo *Tarsensum* , qui est maximi moduli , stat *Hercules* , læva demissa clavam capiti taurino imponens , dextra exuvias leoninas , & infantem gestans , qui utramque palmulam ad infra stantem cervam tendit : supra prominet ramus. Videtur hic infans esse *Telephus* , filius *Herculis* ex *Auge* Nympha : quem Avus maternus in sylva exponi præcepit , a cerva nutritum. Demum n. 209.

in

in are parvo *Niceensum*, quod est *Maximi* Caesaris, consistit *Hercules*, arcum læva efferens, dextra telum ex appensa pharetra extrahens, duabus Avibus, quas dixere *Stimphalides*, iam transfixis, atque cadentibus. Fingebantur hæ volucres rostris, unguibus, & alis ferreis fuisse, solasque carnes humanas devorasse.

XIV.

In Plin. suo Tab. III. & V. ad Tomi I. p. 224. & 344.

Cl. *Harduinus* unius *Postumi* Tiranni sex Numos pinxit, & perii compararunt Galli, cum primis *Deusonienses*, ob Gallia fines per ipsum, licet valde remotus foret, a Germanis tamen limitaneis Alsatis, cum strenuitate & victoria defensos. In Adversa singulorum circa caput radiatum legitur, juxta quod sensit, ac tuebatur contra omnes *Harduinus*, IMP. erator C. aesar M. arcus (quia fuit ex Gente Antonia) CASS. ius (propter descensum ex Cassia Gente) LAT. ro (non *Latiemus*, ut ab aliis lectum, cum & Porciam Gentem sanguine contigerit) POSTUMUS P. ius F. elix AUG. ustus. In Aversa primi Numi stat *Hercules*, aut verius respirat a pugna, dextram imponens lateri suo, læva exuvias Leonis gestans, clavamque sustinens juxta pedes, eidem velut innixus. Circum legitur: HERCULI MAGUSANO. Namque *Maguse* Leonem Nemeæum prostravit. In altero *Anteum* gygantem, qui prostratus in terram, semper ab ea novas vires resumferat, in altum sustollens elidit. Epigraphe: HERCULI LUBICO. In tertio clavam vibrans, Aprum crudelem enecatam lævo humero deportat. Lemma HERCULI ERUMANTINO. In quarto stat quietus cum clava demissa, pelle leonis, & arcu. Additur: HERC. uli DEUSONIENSI. In quinto pari parvula figura cernitur sub Templo hexastilo, cum eodem elogio. In hoc solo postremo Vir Cl. ipsum *Herculem* agnoscit, cui a *Postumo*, Victoriarum causa, *Deusonii* Templum esse constructum affirmat. In anterioribus omnibus *Postumum* denotari per *Herculem* contendit, tanquam in variis Locis Victorem: per tyrannos autem, vel bestias, Germanos ab ipso repressos intelligi cupit. In sexto demum adstat *Hercules* cum clava, & olea, & superferbitur: HERCULEM: quam vocem ipse lacerat, & legit: HER. culi C. onsecratam V. oluit L. eucorem E. sse M. etropolim; Gallia nimirum Belgicæ,

PUBL. Plurimam certe gratiam confers in me tot singularium *Herculeorum* Numorum recensione: qui tamen omnes non impediunt, quin postremus præsentis Tabulæ tuæ Numus haud parum suspensum, incertumque me detineat. Video enim in eo *Herculem* stantem, leonina pelle indutum, plectroque Apollineo ludentem, cum clava juxta pedes, ac miro elogio, hinc & inde deorsum descripto: **HERCULES MUSARUM.** Perpetuo tot arduis pugnis defudanti, quandonam plectri otium fuerit? **TULL.** Rem ex *Eumenio* Rhetore cape: „ Aedem *Herculis Musarum* (inquit) in Circo Flaminio *Fulvius* ille *Nobilior* ex pecunia Censoria fecit: non modo id secutus, quod ipse Literis, & summi Poëtæ amicitia duceretur: sed quod in Græcia, cum esset Imperator, acceperat, *Herculem Musagetem* esse, i. e. *Comitem Ducemque Musarum.* Idemque primus *Novem Signa* h. e. omnium *Camænarum*, ex *Ambracienfi* Oppido translata, sub tutela fortissimi *Numinis* consecravit: quia mutuis præmiis juvari, ornarique deberent, *Musarum* quies defensione *Herculis*, *Virtus Herculis* voce *Musarum.* „

Pinxerunt hunc Numum *Cl. Patinus* in *Gente Pomponia* p. 223. & sequentibus paginis alios duodecim cum imaginibus *Musarum*: ac omnes hos prope *Celeberr.* quoque *Montfocon.* Tom. I. Part. I. Tab. LIX. Expressit vero præsentem, de quo nobis hic sermo, etiam *Cl. Harduinus*, ac de eodem singulariter sensit. Refert in *Adversa Caput cincinnatum*, quod *Ursinus* credidit esse *Apollinis*: *Harduinus* vult esse *Numæ Pompiliæ*, a quo *Gens Pomponia*, cujus erat, qui hic adscribitur *Quinctus POMPONIUS MUSA.* Negat porro in *Aversa* legi debere, vel intelligi *Herculem* quemdam *Musarum*, aut *Musagetem*, item, *Romæ Herculis Musarum*, aut *Herculis*, & *Musarum* Aedem extitisse, cujus curam *Pomponius* gesserit, quod *imperitos* finxisse cum animo asserit. Hæc, ait, sententia est: **HERCULE.** s. S. ignis **MUS.** a. sum **R. omuli U. rbem M. uneravit.** Subdit postea: Ad transferenda ænea Signa novem *Musarum* *Herculea* utique opus fuit *lacertorum* vi. Unde *Pomponius* cognomen *Musæ* sumserit, cur *Musas* omnes tot *Numis* exciderit, nihil ad *Harduinum.* Neque superius ab *Eumenio*, *Seculi IV.* Rhetore, diserte dicta de *Herculis Musarum* Aede, a *Fulvio Nobiliore* structa, & Signis translatis sub *Fortissimi Numinis* tutela consecratis: quamvis hoc etiam *Plinius* eo loco

XV.
TAB. V.
N. XX.

Oration.
pro Scho-
lar. restau-
rat. n. 7-

XVI.

In Plin.
suo Tab.
X. n. ult.
ad Tomi
II. p. 692.

Libr.
XXXV.
Sect. 36.
con. n. 4.

In Aug. confirmaverit. Frustra *Suetonius* dixit. „ Multaque a multis ex-
gust. c. „ structa sunt : sicut a Martio Philippo *Ædes Herculis Musarum* ,
29. „ scilicet instaurata. „ Quocirca etiam *Ovidius* cecinerat :

Factor. Dicite Pierides, quis vos adjunxerit isti :
VI. v. Cui dedit invictas victa noverca manus ?
799. Sic ego. Sic Clio : Clari monumenta *Philippi*
Adspicis.

Sed manum tandem de Tabula V. ta.

DIALOGUS XXIX.

De Aesculapio, eique cognatis Me-
dicis Diis.

PUBLIUS.

I. **M**Ihi ex omnibus Numis meis unicus est Caracal-
læ Denarius, in cujus Aversa *Aesculapius*, a quo Ta-
bulam tuam VI. auspiciatus es, compareat, habitu Vi-
ri fenis, & stantis, ac palliati, qui lævam pectori ad-
movet, atque dextra demissa baculum sustinet, cui anguis imple-
xus. Nomen ejus tacetur, solis *Caracallæ* titulis, ex Adversa
residuis, circumpositis. Recordor autem ex Dial. IX. Exercitat.
Procem. n. 1. & 2. do. Numen hoc Medicum esse, Patremque *Hy-*
ginii, & *Hygieiæ*, sive *Dææ Salutis*, aut *Valetudinis* : quibus omni-
bus Anguis perpetuus comes, & solita tessera est.

II. **TULL.** Angustam tu Deo huic Familiam tribuis : nam &
Machaonem, *Podalirium*, *Panaceam*, *Aegloniam* genuit. Nisi, quot Me-